UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thronus Dei Maria Deipara

Spinelli, Pietro Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1696

Ioannes Comnenus Imperator Constantinopolitanus, ibid.

urn:nbn:de:hbz:466:1-46853

Visual Library

SANCTVS HENRICVS IMperator.

S. Henricus Imper. S. Chunegunda Imperatrix. Martyrol. Roman. Naucler.

SAnctus Henricus Imperator, cuius memoria in Rom. Martyrol. die 14. Junii recolitur cum S. Chunegundæ coniuge, de qua in eodem Martyrol. die 3. Martii perpetuam virginitatem ſingulari Deiparæ ope illibatam ſervauit. obiit autem anno Domini 1024. Is in eadem Deipara colenda adeò fuit ſtudioſus, ut teſte Joanne Nauclero generatione 34. ingrediens in urbem, primam noctem in Baſilica Sanctæ Mariæ Maioris ſemper excubare ſoleret. ſemel autẽ viſione quadã admirabili dignatus eſt, quam verbis Naucleri referam, quod ex ea S. Henrici religio, ac pietas in Virginem ſanctiſſimam, eiuſdemque Virginis in eum benignitas perſpicuè appareat: Fertur, inquit, de Henrico hoc, quod ſemper primam noctem ingrediens urbem, ſolitus fuerit in Eccleſia S. Mariæ Maioris manere. contingit autem ſemel, quod dum ſolitarius oraret, viſus ſit ſibi Chriſtus pontificialibus indutus procedere, miſſamque celebraturus, quem ſequebatur S. Laurentius, & loco ſubdiaconi Vincentius: poſt hos Virgo Dei genitrix cum multitudine Virginum, & Angelorum: de hinc Joannes Baptiſta cum Patriarchis, & Prophetis: poſt hos Petrus, & Ioannes cum cæteris Apoſtolis, & Euangeliſtis: S. Stephanus cum Martyribus, S. Martinus cum Confeſſoribus. Angeli incæperunt introitum: *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam*, & dum cantaretur, *Dextera tua plena eſt juſtitia*, Omnes Chriſtum, & B. Virginem imitantes, extenderunt digitos in Henricum: poſt Euangelium indicibili iubilo Angelus librum deoſculatum à Chriſto, præſentauit B. Mariæ & poſt eam omnibus per ordinem deoſculandum: demùm innuit B. Virgo Angelo, ut porrigeret librum etiam Henrico ad oſculandum dicens: Præbe ei pacis oſculum, cuius mihi virginitas placet: & cùm præ nimio gaudio raptus, neſciret ad plenum intendere: Angelus ipſum in neruo tangens, dicit: Hoc tibi erit ſignum dilectionis Dei propter tuam caſtitatem, & juſtitiam, & exinde uſque ad mortem claudicabat: ex quo euentu vocatus eſt Henricus Claudus. hactenus Nauclerus. Idem S. Henricus plurima erexit templa, de quibus, ac de ejus caſtimonia Gottifredus Viterbienſis in ſuo chronico ſic cecinit:

Viſio Henrici Imper.

Ejusdem virginitati Deipara gratiſſimã, ipſe ſibi indicauit.

Gottifred.

Conjuge virginea Virgo permanſit, & ille
Catholicas dedit Eccleſias numero quaſi mille.

Inter alia porrò Templa Spiræ primarium templum in Deiparæ honorem regia magnificentia conſtruere cœpit, quod poſtea Corradus II. perfecit. ex quibus omnibus non tantum ejus in Virginem ſtudium, verùm etiam quantum illud Virgini acceptum fuerit facilè cognoſci poteſt.

Conradus II. Imper.

SANCTUS STEPHANUS REX Hungariæ.

37 SAnctus Stephanus Rex Hungariæ ſe ipſum, Regnumque ſuum per votum, & oblationem in Deiparæ tutelam aſſiduis precibus obtulit; Eccleſiam in honorem Virginis in Alba regia Vrbe magnificentiſſimam extruxit, & regia munificentia exornauit. Aſſumptionis feſtum Hungaris celeberrimum eſſe, & diem Dominæ ab ijſdem appellari voluit. quos Virgini deuotiſſimos ex inſtitutione S. Stephani, & S. Gerardi martyris Epiſcopi Canadienſis teſtatur Hungarorum capitis ſubmiſſa inclinatio ad nomen Virginis, ut ſupra diximus in S. Gerardo, & alia, quæ refert Caniſius libr. 5. de B. Virgine cap. 25.

S. Stephanus Rex Hungariæ Virgini Regnum ſuum obtulit.

S. Gerrardus mart.

Caniſius.

IOANNES COMNENUS IMPErator Conſtantinopolitanus.

IOannes Comnenus Imperator Conſtantinopolitanus poſt inſignes victorias, quas de Schytis, alijsque hoſtibus Virginis ope, quemadmodum tract. de Mirac. uberius diximus, reportauit, Deo, ac Deiparæ vota perſoluit, inſtituto feſto, quod Pazzinacarum vocant, in rei geſtæ monumentum, & grati animi teſtimonium. quas victorias Deiparæ, ut unicæ victrici acceptas referens, eidem religioſum anno Domini 1123. parauit triumphum; qui à Niceta Choniate deſcribitur: *Currus gemmis pretioſiſſimis ornatus à quatuor equis candidiſſimis trahebatur, habenas viris potentiſſimis moderandas, & cognatis ſuis currum currandum dedit. In curru Dei Genitricis imaginem collocauit, ipſe crucem manu geſtans, pedes anteceſſit, & S. Sophiæ Templum ingreſſus, atque in conſpectu omnis populi ob ſucceſſus gratijs Deo actis in Palatium abijt.* hæc Nicetas. Idem ante eum fecerat Ioannes cognomento Zimeſces Imperator Conſtantinopolitanus anno Domini 971. propter in-

Ioannes Comnenus Imperator Conſtantinopolitanus Virgini triumphũ de accepta victoria exhibet.

Nicetas Choniates.

Ioannes Zimeſces Imper.

gentem victoriam de Barbaris Deiparæ præſidio partam, de qua in tract. de Mirac.

HENRICUS INFANS PORTUGALLIA, & Indica nauigatio.

Henricus infans Luſitaniæ Deiparæ cultus studioſiſſimus. *P. Maffæus* *Hieronym Oſorius.*

38 HEnricus Ioannis Luſitaniæ Regis eo nomine primi filius non ſolùm bellica virtute: verum etiam vitæ ſanctimonia illuſtris & in Deum, cœliteſque omnes, ac beatiſſimam præcipue Dei Genitricem obſeruantia fuit ſingulari: ac teſte noſtro Maffæo liber. 1. hiſt. Indic. in ſumma corporis firmitate, ſummaque licentia illibatum virginitatis florem ad extremum uſque ſpiritum retinuiſſe creditur. quod de eo conſtanter affirmat etiam Hieronymus Oſorius lib. 1. de rebus geſtis Emmanuelis, is nova Orientis maria, & ignotas, ac longinquas terras explorandi cupiditate, & cœleſti etiam monito per quietem ſibi facto incitatus anno à Chriſti natiuitate 1410. aliquot inſtructis, & adornatis nauibus aggredi cœpit, Cœli Reginâ precatus, uti volens, ac propitia cœptis adeſſet. Itaque eius iuſſu Navarchi in ſingulos annos ad remotiora Africæ littora nauigantes, oras illas, atque regiones antea ignotas legentes uſque ad Leænam promontorium ſingulari Dei beneficio pervenerunt ad annum uſque 1460. quo Henricus varias in nationes via Euangelio munito, Templiſque aliquot in locis extructis, & prætertim illo, quod Deiparæ dicavit, quatuor paſſuum millibus Oliſſipone ad fauces portus, unde naves in Orientem ſolvunt, diem clauſit extremum, ejus animi magnitudinem Luſitaniæ Reges imitati novas terras exquirendi, & Chriſtianæ fidei propagandæ ſtudio ulterius progreſſi, tandem ſub Emmanuele Rege anno 1498. in Indiam, & Calecutium uſque pervenerunt. Quantùm porrò præſidij in hac indica expeditione Luſitani in Deipara, quam hujus nauigationis patronam agnoſcunt, ſibi ponendum exiſtimarint, ex eodem Maffæo lib. 2. hiſt. Indic. facilè cognoſci poteſt: cùm enim egiſſet de India à Vaſco Gama tunc primum *P. Maffæus* explorata initio 2. lib. ſic ait: *Patefacta jam India primum omnium Emmanuel toto Regno ſupplicationes indixit: dein Mariæ Virgini ejus navigationis Præſidi extructam ab Henrico Principe ædiculam in ipſo aditu portus Oliſſiponenſis miram in amplitudinem extulit, auxitq́; Ad ejus templi cuſtodiam, & ceremonias, & naualis præſertim turbæ, Ducumq́; animos ritè expiandos eximia ſanctitate monachi acciti è Hieronymiana familia, locus deſumpto à Chriſto incunabilis nomine Bethlehem dictus, in primis totius Hiſpaniæ tum ſtructura, tum religione viſendus* hæc Maffæus. Quæ quidem omnia aliquantò fuſiùs referre libuit, tum ad pietatem Henrici Principis, & Emmanuelis Luſitaniæ Regis erga Virginem ſanctiſſimam declarandam: tum ut Luſitanicæ in Indiam expeditionis initia, & incrementa ferè ſupra humanas vires devictis tot validis hoſtium claſſibus, tot ferociſſimorum barbarorum militum exercitibus profligatis, felices ſucceſſus habuiſſe ſub tantæ Præſidis patrocinio intelligamus: quo via ad lumen Euangelij, in barbaras illas, & efferaras nationes, à nobis lingua, & moribus diſiunctiſſimas inferendum, aperiretur, ac muniretur. ut ſicuti per ipſam Chriſtus ad nos deſcendit, ita & per ipſam Chriſti cognitio, atque cultus, longè lateq́ue ad plurimorum ſalutem in India diſſeminaretur. Qua in re multorum religioſorum ordinum labor, atque charitas in animabus illis ad Chriſtum perducendis enituit. quid etjam in hoc præſtiterit B. Franciſcus Xaverius *B. Franciſcus Xaverius.* B. Ignatij Societatis Jeſu fundatoris ſocius, vir Apoſtolico ſpiritu plenus, qui undecim, quibus in India vixit, annos, in toto ferè Oriente multo ſuo labore, ac vitæ diſcrimine, Chriſti Euangelium diſſeminauit: & Primus omnium in Iaponia, ampliſſima Inſula, Chriſtum annunciauit, ſupra ex parte diximus. quid verò Societas noſtra jam inde à ſui ortus initio, & conſequentium annorum ſpatio in India ſub Deiparæ præſidio præſtet, alijs dicendum relinquamus.

* * *